

IV. Ut omnia ad doctrinam salutarem de Christo ejusque merito velut ad hydum lapidem exigat, et quicquid revere dissonat, animose rejiciat: alioqui simplicitatem hoc titulo non insignivisset Apostolus, quod sit *eis χριστὸν*.

V. Ut equidem rationis dictamini inhaereat, si vero Scripturae placita aliud suaserint, huic potius obtemperet, alioqui non simplicitas fidei in Christo, sed superbia esset adversus Christum.

VI. Ut si quando de decretis DEI sentiendum sit, non ex occultis de revelatis, sed ex revelatis de occultis judicet: Ideo enim dicitur simplicitas *eis χριστὸν*, quoniam ex misericordia Patris per Christum filium humano generi exhibita de reliquis etiam sententiam ferendam existimat.

VII. Ut quicquid profecit in doctrina salutari, quibuscunque etiam beneficiis, ad quae ipsa cum DEO unio pertinet, soli verbo DEI adscribat, tanquam medio, per quod unice nobiscum agat. Non enim disimulat Apostolus Christum Corinthios accepisse per Verbum evangelii, cui hactenus etiam sincere satis adhaeserint.

XXII.

Valeat igitur falsa hinc dignoscenda SIMPLICITAS

I. SYNCRETISTICA stupida et coacta, qua tota fides univel alteri articulo ita includitur, ut vel Symbolo Apostolico sine ulla extensione aut interpretatione, omnia ad finiendas controversias necessaria contineri dicantur. Memorabilia sunt, quae hoc de argumento inter DANNHAREVM et REINBOTHVM aliquando disputata fuerunt: Stuporem hoc dixeris, non fidem.

II. PAPISTICA SUPERSTITIOSA, quae se involvit et implicat fidei ecclesiae et secura stertit, contenta fide carbonaria. Ita non veretur BELLARMINVS scribere, fidem justificantem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri. L. I. de Justif. c. V. De quo mysterio fidei implicitae imposterum.

III. AR-